THESES ALIQVOT LOGICAE, ETHICÆ, PHYSICÆ, SPHÆRICÆ:

In publicam Disputationem exhibendæ: *Quas generosi Adolescentes* Collegii Leonardini

Alumni cum laurea Magisteriali hac vice emittendi favente Numine conabuntur propugnare,

ad diem *Kal. Augusti.* 1618.

In Scholis Marianis.

PRÆSIDE ANDREA BRUSIO.

EDINBVRGI,

Excudebat Andreas Hart.

ANNO 1618.

NOBILISSIMIS ET ORNATISSIMIS DOMINIS IACOBO ET FREDERICO NOBILISSIMI DOMINI IOANNIS KINGORNIÆ COMITIS FRATRIBVS GERMANIS

Adoleſcentes pro laurea magiſteriali *in Collegio Divi Leonardi in* Academia Sancti Andreæ diſputaturi S.

CUM THESES *haſce, Domini plurimum honorandi elaboraſſemus, & jam typis committendæ eſſent, non tam ut publici juris ea ratione fierent, quam ut in publica, & anniverſaria diſputatione opera ſua diſputando ſive audiendo nos non dedignaturis earum major copia ſuppeteret, nobiſque eligendi eſſent ſub quorum patrocinio prodire vellemus; cum omnem juventutem*

EPIST. DEDICAT.

tutem ſcoticanam circumſpexiſſemus, nullos reperire potuimus quibus vel hunc honorem habere, vel onus imponere potius quam vobis debuimus; veſtrum enim alter laborum noſtrorum omnium ſocius, alter non tantum nobis ſtudiorum teſtis, ſed & inſtigator & exemplar totum quadriennium fuit. Tua enim DOMINE IACOBE, *in ſtudiis ſedulitate, qua tantum condiſcipulos ſuperaſti, quantum natalibus antecelluiſti, nobis calcar ad ſtudia hæc addidiſti, acerrime diſputando ingenia noſtra ad altius in abdita Philoſophiæ penetrandum acuiſti; modeſtiâ & legum obſervantiâ, in quibus admirabilis animi tui firmitas, & moderatio ſemper enituit, nobis tenuioribus ad honeſtatem, & mores bene compoſitos præiviſti. Quare ſi quid in his ſtudiis profecimus, non exiguam partem tibi acceptam ferre debemus. Tibi vero* D. FREDERICE, *qui non tantum in iiſdem caſtris nobiſcum, ſed ſub eodem duce totum triennium meruiſti, quantum debeamus ob ſummam tuam in nos humanitatem, quâ te ita demiſiſti, ut nullus eſſet vel tenuiſſimæ fortunæ, quem tu tanquam commilitonem & fratrem non es complexus, epiſtolæ modus non capit. Quamobrem* DOMINI NOBILISSIMI ET ORNATISSIMI, *haſce* THESES *noſtri erga vos meritiſſimi ſtudii pignus eodem animo accipere non recuſetis, quo ante nos ipſos complecti conſueviſtis: nec onus eas legendi quod vobis imponimus licet grave ſuſcipere, nec hono-*

rem quem habemus licet levem accipere dedignemini. Valete DOMINI NOBILISSIMI, *& nobis pro solita vestra humanitate favete.*

Vestri honoris Studiosissimi,

Alexander	Henrisonus.
Alexander	Hevetius.
Alexander	Rindius.
Constantinus	Robertsonus.
David	Aytonus.
Georgius	Wemius.
Gulielmus	Guthræus.
Gulielmus	Halliburtonus.
Gulielmus	Kellius.
Gulielmus	Kinnardus.
Iacobus	Patonus.
Ioannes	Drummondus.
Ioannes	Drummondus.
Ioannes	Hepburnus.
Ioannes	Wedderburnus.
Robertus	Brouneus.
Robertus	Hepburnus.
Robertus	Messerus.
Walterus	Lawmonthus.

THESES LOGICÆ.

I.

INSTRUMENTA LOGICA sunt formæ quædam in animo existentes facultate Logica acquisitæ, quarum ope similes formas in primis rerum notionibus effingimus, in eum præcipue finem, ut verum à falso discernamus.

Hinc sequitur, solas secundas notiones instrumenta Logica esse, easque recte accommodatas ad primas esse Logicam utentem, eum autem qui eas accommodat, aut qui scientiam, cui accommodatæ sunt, habet: non eatenus Logicum esse, aut dici: prout nec illa scientia dicenda est Logica, præsertim, cum in ea nullæ sint secundæ notiones.

II. Genera & species qua talia, aut nihil sunt, aut posteriora iudividuis.

Ergo genera, & species, & omnino universalia, qua talia, non existunt in rebus: sed in mente tantum.

III. In accidentis cuiusque ratione substantiæ rationem inesse necesse est.

1. *Ergo accidentis esse, est inesse in substantia, non tantum per aptitudinem: sed etiam actu.*

2. *Vana sunt, quæ garriunt homines de existentia accidentium extra subiectum.*

3. *Et temere nimis loquuntur ii, qui quidvis alteri accidit, aut ei quovis modo adhæret, accidens esse dicunt.*

IV. Proprietas omnis essentialis fluit ex principio aliquo essentiali sui subiecti, cum quo arctissimo, & indissolubili nexu cohæret.

Ergo est alteri subiecto incommunicabilis.

V. Eadem specie accidentia solo subiecto differunt.

1. Ergo duo accidentia numero tantum differentia non possunt esse in eodem subiecto.

2. Ergo nec unum numero accidens potest esse in diversis numero subiectis.

VI. Omne homonymnm (quod vulgo homonymans dicitur) est vocabulum quod vel fortuito, vel propter similitudinem, aut aliquam ab uno dependentiam, pluribus naturâ & essentiâ tota differentibus, impositum est.

1. Ergo nec ens, neque ullum aliud homonymum, essentialiter prædicari potest.

2. Multo minus igitur genus, aut esse, aut dici, nisi forte homonymum ab uno per analogiam, propter quam recte ad distinctionem generis, analogum est appellatum.

3. Quamobrem etiam minus scienter ens aliquod homonymum appellatum puto.

VII. Quot modis figuræ prædicationis dicuntur de primis substantiis, tot modis ipsum esse. Met. L. 5. t. 13.

1. Ergo decem sunt categoria, & decem genera generalissima, omnia univoca & realia.

2. *Nec individua sunt in categoriis.*

3. Summa rerum genera non necessario realiter distinguuntur, ut Actio & Passio: sed tantum per modos essendi & prædicandi, in primis, & de primis substantiis.

VIII. Quod actu est, id nnum & ens est.

1. Ergo è duobus, quæ actu sunt, non potest ulla substantia consistere.

2. Ergo res artefactæ non sunt unum per se, nec in ulla categoria, nedum in substantia censeri debent.

IX. Consentaneum de suo consentaneo tantum, vere & affirmative dicitur.

1. *Enun-*

THESES LOGICAE.

I. *Enuntiationes ergo istæ, in quibus disparatum de disparato dicitur (cuiusmodi variæ in sacris literis occurrunt) vel tropice intelligantur necesse est, alioqui impossibiles & falsæ sunt.*

X. In propositionibus modificatis, ut ex earum conversione patet, non spectatur modus ut attributum, neque in syllogismo ut terminns.

1. *Modus ergo in enuntiationibus modificatis est potius formale attributi, quam attributum.*

2. *Quare nihil prohibet, quin in modificatis sint veræ universales & particulares, prout in enuntiationibus de inesse.*

XI. Assumitur in prima figura medium inesse minori extremo.

1. *Ergo à veritate alienum est, verbum infinitum in enuntiatione esse negatum: præterea quod nisi verbum infinitum in enuntiatione locum habeat, nusquam erit.*

XII. Necessaria & proprie dicta dispositio Logica ea sola censenda est, cuius ope mens humana ab arte Logica in rerum & notionum faciliori cognitione & diiudicatione iuvari potest.

1. *Ergo nulla dispositio in organo tradenda, quæ non sit vel terminorum in propositionibus, vel propositionum in syllogismo, vel denique propositionum vel syllogismorum inter se.*

2. *Noëtica ergo, sive axiomatica illa dispositio omnino reiicienda est.*

XIII. Nulla est argumentatio sine antecedente & consequente, nec antecedens magis pertinet ad eius essentiam, quam consequens.

1. *Ergo conclusio non minus syllogismi pars est, quam aliqua præmissarum.*

2. *Syllogismi denominatio semper sumenda est à deteriori parte antecedentis.*

XIV. Nec syllogismus singularis, nec hypotheticus, vi ullius artificiosæ dispotionis concludit: sed hic quidem (ut ait Philosophus) ex compacto, ille ex sensus iudicio.

1. *Ergo*

1. *Ergo ut neuter ad modum & figuram reduci potest, ita neuter simpliciter vel syllogismus, vel argumentatio meretur dici: sed duntaxat cum adiectione.*

2. *Tantum abest, ut huic, vel illi syllogismi definitio competat.*

XV. In Logica aliisque disciplinis practicis, reperiuntur multæ rationes non solum communes & probabiles: sed etiam necessariæ, & è natura rerum, de quibus agitur petitæ, quæ earum disciplinarum propriæ sunt.

Quare nihil prohibet demonstrationes in iis disciplinis esse, sed à demonstrationibus, quæ in scientiis contemplativis sunt, hoc differunt: quod illæ necessariæ sunt tantum ex suppositione subiecti, hæ simpliciter.

XVI. Dantur multæ apud Euclidem demonstrationes, quarum medium est aliquod proprium accidens subiecti: quod neque sit causa, nec effectus affectionis demonstratæ.

1. *Non ergo omnis demonstratio est vel à causa, vel ab effectu.*

2. *Nec omnis demonstratio à signo est ab effectu.*

XVII. Medium demonstrationis non potest esse subiectum affectionis demonstratæ, neque eius forma.

Ergo licet per omnes causas Aristot. dicat nos posse demonstrare: sola tamen efficiens, & finis, affectionis demonstrandæ, medium demonstrationis esse possunt.

XVIII. Scientiarum, quæ subiecto conveniunt, eæ tantum subalternæ dicuntur, quarum & subiectum & principia & totæ demonstrationes sunt eadem: differunt solum sensili qualitate, quam inferior superioris subiecto addit.

Non sunt ergo subalternæ reliquæ scientiæ Metaph.

XIX. In Philosophia cuius gratia Aristot. potissimum Dialecticam suam conscripsit, singularium nullus est usus, quorsum enim ratio excogitari debet ad ea patefacienda, quæ sensu innotescunt.

1. *Ergo*